THESIS IV.
HISTORICO-THEOLOGICA
THOMÆ LEMOS
Ac Lovanienſium cum Thomiſtis Belgis, Hiſpanis, Italiſque concordiam confirmans.

QUAM

PRÆSIDE

EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

JOANNE LIBERTO HENNEBEL

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE

DEFENDET

GUILIELMUS FRANCISCUS LAUTTENS

GANDENSIS.

In Collegio Viglii die 15. Februarii 1685.

LOVANII,

Typis GUILIELMI STRYCKWANT ſub aurea Lampade.

§. 1.

Quis hodiernus noſtræ cum Moliniſtis controverſiæ Status?

Cum nuperrimè fulmina nobis & anathemata imminere Moliniſtæ jactarent, naturalis ordo poſcebat, ut nos altiùs inſonando tetram hanc tempeſtatem diſſipare conaremur. Cum verò nunc facta ſit tranquillitas magna, zelumque hunc vehementiorem prudenter temperârint, placidè deinceps totius controverſiæ repetere licebit originem. Nihil exprobrabo, non illis inſultabo, quia pacem ac veritatem unicè diligo. Malo de gratia non clamosè, ſed benigniùs gratiùſque tractare: ſcio enim quam periclitentur hominum, etiam doctiſſimorum judicia, cum de rebus graviſſimis diſputationes clamoſæ inſtituuntur. Multos excæcat amor vincendi, pudorque ea retractandi, quæ malè dicta eſſe non ignorant; cum tamen veritati ſervire regnare ſit, nihilque ſit glorioſius, quam veritati victas manus ſubmittere. Hos ego metuens ſcopulos, hactenùs nec Lovanienſibus, nec Moliniſtis cenſui cæco affectu credendum, ſed in his controverſiis illud unum ſemper ſpectavi, inquirere ſedulò, quid ante hos turbines Theologi præſtantiſſimi de iis ſentirent, cum animis pacatis, nulloque ſiniſtro affectu depravatis liberiùs loquebantur, ſemper illius memor quod ſcribit Eccleſiaſticus: *Non te prætereat narratio Seniorum; ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis.* Juxtà hanc Methodum cum Moliniſtis deinceps quæſtionem hanc tractabo, eos peramanter invitans ut eandem ſequantur.

Controverſiam noſtram de prædeſtinatione & gratia cœpiſſe in Belgio ſuperioris ſæculi anno 87. compertum eſt. Paulò poſt acriùs illa in Hiſpaniis exarſit, ac tandem Romam devoluta eſt. Si contendentium ſuſpecta tibi ſit animoſitas, eia unanimiter ſcrutemur, quæ fuerit ſententia Doctorum, qui ante contentionem omnem quæſtiones illas placidè pertractârunt.

Moliniſtarum doctrinæ ſubſcribo, ſi Leſſius ea Lovanii tradiderit, quæ ante illum in Belgio tradebantur communi Doctorum omnium ſuffragio. Quod ſi nova ille in Belgium invexit dogmata, ipſis quoque Societatis Patribus ante incognita, non Leſſio, non Leſſii diſcipulis, ſed doctiſſimis Societatis Patribus, qui ante Leſſium Lovanii floruerunt ac perenni concordiæ nexu cæteris Belgii Theologis fuere conjuncti, firmiſſimè adhæreo.

Utinam illa aliquando reſarciatur concordia, quam Leſſius Hameliuſque ſolverunt. Res confecta eſt, ſi quemadmodum Lovanienſes majorum ſuorum inhærent veſtigiis, ita quoque Moliniſtæ ſubſcribant doctrinæ collegarum ſuorum, qui Leſſium præceſſerunt.

Concedunt Moliniſtæ, quod hodiè Lovanienſes in materia de prædeſtinatione & gratia eam per omnia tueantur ſententiam, cui à ſæculo ſubſcripſerunt unanimiter duodecim, id eſt, omnes ejuſdem Facultatis Doctores. Hanc Cenſurâ Duacenſi fuiſſe confirmatam, omnibus eſt perſpicuum. Duabus Belgii Facultatibus acceſſiſſe omnes Belgii Epiſcopos ipſa Moliniſtarum monumenta teſtantur, è quibus conſtat, *Iprenſem Epiſcopum, qui cæteris magis fuerat cunctabundus, inſtante Mechlinienſi Archipræſule, circa finem Decembris* (1587.) *ſuam & Theologorum Eccleſiæ ſuæ miſiſſe ſententiam Cenſuræ Lovanienſi conformem.*

Nemo mirabitur, quod eandem Religioſi omnes Ordines propugnarint (quod brevi latiùs fortè probabitur) ſi expendat, quod & Societatis Patres uſque ad tempora Leſſii illam ſecuti ſunt. Atqui nec ipſi Societatis Patres hoc diffiteri poſſunt; cum certum ſit, eos uſque ad anno 1570. Scholas noſtras Academicas frequentaſſe, ac tritiſſima earum dogmata

Lovanii imbibiſſe, maximè cum fidem faciat Eſtius teſtis oculatus, quod Lovanii de Prædeſtinatione & gratia nulla tum contentio fuerit.

Illud quoque conſtat, cum fructu erudiendis populis Societatis Patres ſe tunc impendiſſe, nec dubitari poteſt quin eam methodum ſecuti ſint, quæ Belgii Epiſcopis probabatur: atqui inſtructio vernacula pro Cameracenſi Provincia edita noſtram luculentè doctrinam continet, ergo eam populis prædicabant.

Hinc eſt, quod ſine cujuſquam contradictione, anno 1570. (quo Lovanii in Collegio Societatis inſtituta primùm fuit Lectio Theologica) eandem doctrinam à Profeſſoribus ſuis acceperint. De Bellarmino teſtatur vitæ ejus auctor, quod Lovanii primus in Collegio Societatis docuerit, nulla cum Academicis opinionum foverit diſſidia, ſed ab omnibus ſemper Magiſter optimus ſit habitus.

Cum in præfatione Cenſuræ Profeſſoribus Societatis majores noſtri opponerent, *de Studioſorum non excidiſſe memoria, quanam Robertus Bellarminus ex eadem Cathedra de his ipſis argumentis ſenſiſſet & docuiſſet* Leſſii & Hamelii *dogmati planè adverſa atque contraria*; confeſſi ſunt illi in Apologia ſua, rem ita ſe habere; ſibi tamen id obeſſe non poſſe, eo quod Bellarminum, poſteaquam Lovanio migravit, ſententiam mutaſſe dicerent.

Contigit in Belgio, quod & in Hiſpaniis accidit. Ut Molinæ nova dogmata Societatis Patres Hiſpani, ſic Leſſium Belgæ ſecuti ſunt; meritoque nos Belgis opponimus, quod Doctor Navarette anno 1605. objecit Hiſpanis: *Velint nolint iſti* (Molinæ in Societate diſcipuli) *qui non ſequuntur veſtigia majorum ſuorum: qui in Societate Ieſu nati & ad ubera S. N. Doctoris Thomæ & Academiarum ejus nutriti perpetuo noſtræ ſententiæ adhæſerunt, ipſi judices eorum ſint. Dicant apud ſe intus venerabiles hujus S. Religionis Senes, ſi extrà non fateri audeant, quam doctrinam certam & indubitatam in ſtudiorum ſuorum primordiis ebiberunt? An fortè illam de novo inventam, an verò eam, quam D. Thomæ Schola tuetur?*

Hanc mutationem noſtri graviter deflevere majores. Cenſuræ ſuæ præfationem ſic concludentes: *Valde dolemus pietatem veſtram D. N. J. C. nomen titulumque præferentes gratiæ ipſius (ut nobis ſanè videtur) obſcurare gloriam, ejuſque vim & efficaciam enervare. Et cum de Chriſtianorum moribus optimè ſitis hactenus promeriti, non parum veremur, ne ſi in ſuſcepta ſemel doctrina iſta perſeveretis, ejus contagio plurimum ſitis obfuturi, & qui bona vita exemplo multos ædificaſtis in Chriſto, dogmatis jam hujus magiſterio pleroſque malè volu credulos in ruinam, quod abſit, exitiumque præcipitetis.*

Ita conveniunt & Lovanienſes Theologi & ipſi Societatis Profeſſores hos novam in Societatis Scholas invexiſſe doctrinam quemadmodum & fecit Molina in Hiſpania.

Tanta Epiſcoporum, Academiarum, Religioſorum Ordinum in veterem doctrinam conſenſio Mechlinienſem ac Cameracenſem Metropolitas excitavit, ut *Synodum pararent Epiſcoporum*, inquit imago primi ſæculi, *qui dogmata Patrum Societatis à duabus Facultatibus damnata diſcuterent, eademque toto Belgio proſcriberent.*

Parum Antiſtites illos movebat, quod Societas illorum patrocinium ſuſciperet, quam conſtabat non ita pridem contraria omnia docuiſſe.

Si quid in Cenſura ſua zelo præcipiti pronuntiaſſent Lovanienſes, credibile non eſt, quod illorum judicium tam citò probaſſent omnes, qui in Belgio vel doctrinâ vel pietate vel dignitate præcellebant; verùm cum notatos articulos receptiſſimæ harum Provinciarum doctrinæ repugnare conſpicerent, ſecurim ad radicem ponere conati ſunt, metuentes ne graviores fortè diſputationes ſuccreſcerent, quibus hodiè omnia turbari deflemus.

Sed rei ſtatum altiùs repetamus; ſenſum hujus Facultatis perquiramus ab iis temporibus, quibus Philippus II. Rex Catholicus eam eſſe dixit *unicum præſidium & lumen Catholicæ Fidei in inferiori Germania*, faſſus etiam, *quantum Catholicorum & obedientium Provinciarum in Belgio reliquum eſt, doctrinâ & auxilio Academiæ Lovanienſis Romanæ Eccleſiæ & ſibi ſervatum*

eſſe

eſſe. Repetamus ab anno 1563. Id eſt ab eo , quo lib. 15. cap. 7. n. 6. ſcribit Card. Pallavicinus, quod *ſummo habebatur in honore Lovanienſis Academia non ſolum à Belgicis Regionibus , ſed ab univerſa Germania Galliaque Belgio finitimis, propter Magiſtrorum excellentiam, confluentium frequentiam , Alumnorum nobilitatem , & præ cæteris propter ſanitatem doctrinæ , unde hoc decus obtinuerat , ut haberetur tanquam armorum ſedes in illis Regionibus adverſùs Lutheri vires , damnatis ejus erroribus , ejuſque aſſeclis confutatis.* Quid illo tempore de Prædeſtinatione & gratia tenuit illa Univerſitas , quæ teſte eodem , *Eccleſiæ columen dici poterat ?* An fortè Molinæ Leſſiique partes ſecuta ab illis fuit aliena , quæ Cenſuræ ſuæ alii ejuſdem Facultatis Doctores poſteà inſeruerunt? Jactavit hæc aliquando Decherius, liberè aſſerens Cuneri tempore Leſſii dogmata in Schola Lovanienſi fuiſſe vulgatiſſima. Contrà verò ſic inſtat teſtis oculatus Guilielmus Eſtius in Oratione Duaci habitâ anno 1609. *Quod Cuneri tempore non fuerint hæc dogmata* (Leſſii & ejus Diſcipuli de Prædeſtinatione & Gratia) *in Schola Lovanienſi vulgatiſſima,ac ne vulgata quidem,mihi certiſſimè conſtat,qui ab anno 1561.* (ac proindè ante tempora , quorum meminit Pallavicinus) *quo Cunerus needum erat Profeſſor uſque ad annum 1582. eas Scholas trivi partim ut diſcipulus , partim ut Licentiatus , aut Magiſter , quique ſententias & doctrinam Profeſſorum illius temporis optimè notas habui ; eodem enim loco tunc habebat hæc dogmata , ut ſi quis ea vel docendo proponeret , vel diſputando defenderet , non parum offenderet. Quamvis præter Cunerum vix aliquem novi , qui id tentârit, etſi per id tempus , quod nominavi , habuerit ea Schola multos doctiſſimos Profeſſores.*

At propiùs expendamus , cur Phillippus II. Academiam Lovanienſem eſſe dixerit *unicum præſidium & lumen Catholicæ Fidei in inferiori Germania ?* Cur illi acceptum tulerit : *Quantum Catholicorum & obedientium Provinciarum in Belgio reliquum eſt , doctrinâ & auxiliis Academiæ Lovanienſis Romanæ Eccleſiæ & ſibi ſervatum eſſe ?*

Certè hæc veritas non eſt è Democriti puteo eruenda. Doctiſſimos tantùm Viros conſideremus quorum operâ contrà Hæreticos uſus fuit Rex ille prudentiſſimus.

Anno 1557. Ferdinando Rege Romanorum inſtante , Sonnium , Raveſteyn , & Rythovium Wormatiam miſit , ut Catholicam ibidem doctrinam exponerent , & contrà Hæreticos tuerentur.

Cum verò contrà Belgii Hæreticos expedire maximè judicaretur , novos creari Epiſcopos , qui graſſantibus erroribus ſe muros opponerent pro domo Dei , anno 1558.pro erectione novorum in Belgio Epiſcopatuum Romam miſſus eſt Sonnius , qui & paulò poſt erecti ſunt ; quibus præfecti fuerunt ex Univerſitate Lovanienſi , Lindanus , Janſenius Gandenſis , Rythovius , Curtius aliique. Quin ex illis ipſis qui Cenſuræ ſubſcripſerunt , aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Ruræmundenſem Cuyckius. Denique Tridentum miſit Janſenium Gandenſem , Baium & Heſſelium ; quos omnes doctrinæ , quam in Cenſura ejuſque Juſtificatione tradiderunt noſtri Majores , per omnia conſenſiſſe editi quorumdam libri , ſuprà citata Eſtii contrà Deckerium Oratio , ac denique Peroratio Juſtificationis Cenſuræ Lovanienſis abundè teſtantur.

Extant etiamnum inſtructiones vernaculæ, quibus contrà Hæreſes per ea tempora ſubditos ſibi populos Epiſcopi muniebant , quas doctrinæ noſtræ eſſe conformes adducta ex illis teſtimonia palam fecerunt.

Cenſuram Lovanienſem inter Epiſcopos illi fortiſſimè propugnârunt,qui pro Religione Catholica contrà Hæreſes plurimos ſubiere labores, Lindanus nempè & Vindevillius. Cur ita ? Noverant nempè Leſſii doctrinam ad reſiſtendum hæreticis non eſſe idoneam , ſed veriſſimam eſſe Cenſuræ Lovanienſis concluſionem in qua dicitur ; doctrinam Profeſſorum Societatis *potius Lutheri & Calvini & reliquorum noſtra tempeſtatis Hæreticorum ſententiam, dum ab ea videri vult , quam longiſſimè recedere , potentiuſque debellare , magis etiam imprudenter ſtabilire atque confirmare. Nam ſi non poſſumus , vel (ut ad mitigandam invidiam dicitur) difficilè*

jam ponderis & auctoritatis acceſſione Hæreticorum ſententia roboratur ?

Tantoperè ſolicita fuit Hiſpania ne ab hac doctrina Lovanienſis Scholâ recederet, ut Ruardum Tapperum hac in cauſa vacillantem mox corripiendum putaverit primi nominis in Hiſpania Theologus, Philippo II. Charus, Petrus Sotó Religionis Chriſtianæ vindex acerrimus.

Ergò ſi anno 1563. & ſequentibus propter doctrinæ ſanitatem tantum ubique decus Academia Lovanienſis obtinuerit, ſi Romanæ Eccleſiæ Regiq́ue Catholico has Provincias ſervaverit, dum præcipuæ cum Hæreticis controverſiæ erant de gratia & libero arbitrio, negari non poteſt quin vindicata fuerit Eccleſia ab Epiſcopis & Doctoribus Lovanienſibus, qui majorum noſtrorum de gratia doctrinam conſtanter propugnârunt.

Totus modò quæſtionis noſtræ cardo tandem huc relabitur; an doctrina de prædeſtinatione & gratia à Lovanienſibus tradita in Cenſura ejuſque juſtificatione, cui omnes paſſim in Belgio Epiſcopi, Theologi, ac Religioſi Ordines ſubſcripſerunt, quam ante editam Cenſuram Lovanienſes conſtanter propugnârunt, & ipſi Societatis Patres ante tempora Leſſii ſecuti ſunt, proſcripta fuerit per Decreta Innocentii X. & Alexandri VII.? Hoc contendunt Moliniſtæ, urgentes potiſſimùm Cenſuram horum articulorum: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

At Lector æquus attendat Propoſitiones damnatas unicè agere de ſtatu naturæ lapſæ, ut ipſe Propoſitionum textus luce meridianâ clarius demonſtrat.

Thomiſtarum quoque doctrinam non eſſe hâc Cenſurâ proſcriptam Adverſarii ipſi conſitentur. *Scimus*, inquit Auctor Appendicis 3. *libenterq́ue fatemur ſuſtineri poſſe gratiam phyſicè prædeterminantem, quam tenent Thomiſtæ non rejicientes gratiam merè ſufficientem..... Immunis eſt TALIS gratia per ſe efficax ab omni Cenſura, ita jubente Pontifice.*

Si hæc ita ſunt, evidens eſt à Cenſura Lovanienſes immunes eſſe, ſoloſque Moliniſtas contra Pontificia peccare mandata, qui Lovanienſium audent carpere doctrinam, quæ pro ſtatu naturæ lapſæ, de quo unicè agunt damnati articuli, illi Thomiſticæ per omnia conſentit. Quod, ut omnibus conſtaret clariſſimè, gratiam per ſe efficacem ſeu Phyſicam Thomiſtarum præmotionem definivi cum Thoma Lemos l.4. p.2. tract.4.n.144. *Eſt auxilium tale, quod ut venit à Deo, independenter ab humana & media præſcientia, veras tribuit animæ vires, vereq́ue efficit vi & energiâ ſuâ, ut arbitrium eidem infallibiliter præſtet aſſenſum, ita ut per talem efficaciam gratia ſua potenter atque ſuaviter ſibi ſubdat arbitrium, & activè propriè, & verè efficienter ſibi faciat conſentire. Hæc eſt propria acceptio hujus vocis, efficacia, dicta de auxilio divinæ gratiæ.* Et num. 192. *Deus efficaci ſuâ gratiâ movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non ſolum interius ſuadendo, invitando, atque aliter tantùm moraliter attrahendo, ſed etiam verè & activè propriè efficiendo, ſalvâ tamen humanâ libertate. Taliſque efficax gratia convenienter phyſicè prædeterminare dicitur. Veritas iſta brevi compendio univerſam hanc materiam & primam ac fundamentalem ejus quæſtionem & quoad rem & quoad vocem clariſſimè comprehendit.*

Confeſſus ſum jam pridem, iterumq́ue confiteor rectè hic explicari energiam gratiæ per ſe efficacis, quam homini lapſo eſſe ad bene agendum neceſſariam majores noſtri agnoverunt, quorum veſtigiis inſiſtere nobis eſt propoſitum. Eam quoque eſſe genuinam Scholæ noſtræ doctrinam agnoſcit Thomas Lemos, qui phyſicæ præmotionis vindices recenſens ita pronuntiat: *Florentiſſimæ Academiæ pari conſenſu hanc prævenientis gratiæ divinam efficaciam tradiderunt, ut antiquiſſima & doctiſſima illa Lovanienſis, eruditiſſima Duacenſis, ſapientiſſima Pariſienſis, & inſignis Salmanticenſis.*

Quid ad hæc Adverſarii, qui Thomiſtarum doctrinam ab omni Cenſura immunem eſſe confeſſi ſunt? Nonnè evidens eſt, quod & Thomas Lemos Scholæ noſtræ hanc doctri-

nam

nam adſcribat, noſque eam, prout à Lemos exponitur, pariter amplectamur? Quid in re tam perſpicuâ ſupereſſe poteſt dubii?

Verum ſubmurmurare quoſdam audio (pudet enim illa palam eloqui) illud quidem negari non poſſe, doctrinam hujus Facultatis de gratia hominis lapſi omninò eſſe conformem doctrinæ Lemos; ſed non arbitrantur, quod Thomam Lemos cæteri Thomiſtæ ſequantur.

Ad hæc refellenda ſufficeret, quod tam in libello ſupplici quam memoriali exhibitis Sanctitati ſuæ palam profeſſi ſint Patres Dominicani, qnod ab ævo ejus de gratia doctrinam amplectantur. Verùm lubet cum illis agere liberaliùs. Idcircò non privatos auctores, ſed Thomiſtarum cætus plures è Belgio, Hiſpaniâ, Italiâque proferemus, qui Thomam Lemos ſequuntur ad apicem; adeò ut de illius doctrinâ præ cæteris certum ſit, quod ab omni ſit cenſurâ immunis.

Quod ſi quandoque præſtantiſſimi illi viri in Moliniſtas acrius invecti fuerint, antequam Pontificia emanaſſent Decreta invectivas ejuſmodi vetantia, profiteor ac declaro, hæc me Pontificia Decreta venerari, & nolle Moliniſtarum dogmata acriori Cenſurâ perſtringere, ſed eas tantùm aliorum cenſuras referre, in quantum opus eſt, ut unanimis in doctrinam noſtram Academiarum conſenſus eluceſcat. Nefas hoc mihi eſſe nemo dixerit, qui ponderaverit ea, quæ tradit Leſſius in præfatione diſputationis ſuæ Apologeticæ de gratia.

§. 2.

An Doctrinam Thomæ Lemos tueantur Belgii Thomiſtæ?

ANno 1668. 25. Aprilis Patres Prædicatores in Capitulo Provinciali Lovanii Congregati ſolemnem doctrinæ ſuæ ediderunt Declarationem, quam hìc inſerimus:

Genuina explicatio & Doctrina Magiſtrorum & Profeſſorum Ordinis Prædicatorum totius Germaniæ inferioris Lovanii in Capitulo Generali congregatorum.

SUPER

Verum ſenſum ac intellectum Divinæ Gratiæ ex ſeſe, ſeu ex natura ſua efficacis prout communiter in Schola Thomiſtarum traditur & explicatur nomine auxilii phyſicè prædeterminantis voluntatem ad actus liberos bonos.

NIMIRUM

QVod iſto nomine nihil aliud intelligatur, quàm Gratia Divina, quæ omnem ſuam efficaciam habeat ab omnipotentia Dei, & à Domino quod Divina Majeſtas habet in voluntates hominum ſicuti in cætera omnia; quâ Deus velle, & operari operatur in nobis, facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, quâ agit in cordibus hominum motum voluntatis eorum, voluntantibus ſtudium virtutis immittit per ſubminiſtrationem ſpiritûs, & operatur in nobis bonas etiam voluntates, immutat, inflectit, inclinat, convertit cor durum quô placet, ut indeclinabiliter & inſuperabiliter agatur, & agat quod per illud agere ipſe voluerit: qua ſolus ipſe inclinationem voluntatis transferre poteſt de uno in aliud ſecundùm quod vult, vehementiùs in eam imprimens, & per interiorem inſtinctum Divinæ operationis impellens & movens immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis; ita tamen ſua omnipotentia interius operantis, ut id, quod voluntas humana vult, eo modo velit, quô congruit naturæ ſuæ. voluntariè prorsùs & liberè. idque planè ſecundùm S. Auguſtinum & S. Thomam conformiter ad ipſam S. Scripturam præſertim Ezech. 36. Prov. 21. ad Philip. 2. Ioan. 2. &c.

Ideò autem taliter efficax gratia in prædicta Thomiſtarum Schola Phyſicè prædeterminans dicitur

non

non quod imponat voluntati neceſſitatem aliquam , ſicut eſt in rebus naturalibus , qua ſunt omnino determinata ad unum , vel aliquam aliam phyſicam qualitatem voluntati imprimat , quò per modum natura eam impellat aut neceſſitet , ſed ideo tantum, quod per gratia ſua auxilium Deus nulla praſuppoſita ſcientia media aut conditionata beni usûs noſtra voluntatis illam ad actus liberos bonos determinet , non ſolum interiùs ſuadendo , excitando , invitando , aut aliter moraliter attrahendo , ſed etiam activè , verè & propriè , & per modum agentis , abſque violentia tamen ex parte potentia & in ipſa potentia cauſet ipſam voluntatis actionem , adeoque gratia ſit bona voluntatis verè & propriè effectrix , quâ ſit ut homo ad ſuam actionem infallibiliter ſe-determinet non ex neceſſitate , ſed juxtà ſuum proprium modum omnimoda libertatis , ſicque omnis efficacia proveniat ex ſola gratia & ex ipſa Dei omnipotentia , nec illam expectet aut emendicet à libero arbitrio , neque efficax ſit dependenter ab illo.

Et quia motus moventis pracedit motum mobilis ratione & cauſa , rectè etiam Pramotio ac Pradeterminatio activè , verè & propriè & in hoc ſenſu phyſicè efficiens appellatur , in quo intelligitur applicatio virtutis ad actionem , ſicuti homo eſt cauſa inciſionis cultelli ex hoc ipſo , quod applicat acumen cultelli ad ſcindendum movendo ipſum , ſicque tota operatio pertinet ad gratiam ſicuti ad cauſam effectivam pramoventum & determinantem conformiter ad Concilium Trid. ſeſſ.6. Can.4.

Hancque veram eſſe ſententiam & doctrinam Schola Thomiſtica dicimus , declaramus & atteſtamur. Actum in Capitulo Provinciali habito Lovanii die 25. Aprilis 1668.

SIGNATUM EST

F. Thomas Leonardi S. Theologiæ Mag. Vicarius Generalis Provinc. electus.

F. Guilielmus Seguier S. Theologiæ Mag. Facult. Duacenæ , ibidemque in Collegio S. Thomæ Aquinatis iteratis vicibus Regens Profeſſor , primus Definitor.

F. Raymundus de Hezecques Doctor Pariſienſis , ſecundus Definitor.

F. Godefridus Marquis S. T. D. quondam Regens Studii Antverpienſis & Magiſter Studii Lovanienſis tertius Definitor.

F. Antonius Daubermont S. T. D. & Profeſſor , Studii Generalis ſui Ordinis Lovanii Regens Primarius & quartus Definitor.

F. Petrus Dierkens S. T. D. & olim per multos annos ejuſdem Lovanii Reg. & Prof.

F. Gaſpar Dingens S. T. D. olim Lovanii & Antverpiæ Primarius Reg. & Profeſſor.

F. Ambroſius Nachtegael S. T. D. & Studii Gener. Antverpienſis Regens Primarius.

F. Bonaventura de Marivoorde Ex-provincialis S. T. Profeſſor.

F. Henricus Hechtermans Prior Mechlin. S. T. L. & Prof. Lovanii , Bruxel. & alibi.

F. Henricus Walſenius S. T. Licentiatus , quondam Studii Lovanii Generalis Regens Primarius & Venerabilis Definitorii Secretarius.

F. Angelus Hennotelle S. T. D. quondam Regens Primarius Studii Generalis Duaceni.

F. Antonius Genuart S.T.L. humilis Prior Inſulenſis , & quondam Regens ſecundarius Studii Generalis Duaceni.

F. Hieronymus Henneguier S. T. L. Regens Duacenſis.

F. Raymundus Corduanier S. T. Doctor.

F. Thomas Taffin S. T. B & Profeſſor,

F. Godefridus Soons S. T. L. & Profeſſor.

F. Thomas Godtſnoven S. T. L. & Regens ſecundarius.

F. Franciſcus Janſſens Elinga S. T. L. & Magiſter Studii.

F. Henricus Collins Prior Bruxellenſis Facult. Duacenæ S.T.L. & Bruxellenſis Profeſſ.

F. Hieronymus Mauritius Prior Sittardienſis ac S. T. L. Lovanienſis.

F. Albertus Kleynen S. T. B. F. & Philoſophiæ Profeſſor.

En

En veram ac genuinam Thomiſtarum doctrinam tot præſtantiſſimorum virorum ſubſcriptione firmatam, quæ ne ad apicem quidem à doctrina Lemos diſcrepat, ſed & illius penè verbis expreſſa eſt; quam alii Thomiſtæ Belgii, etiam ſæculares, ſequuntur: Nam Guilielmus Eſtius Academiarum Belgicarum decus in 2. diſt. 28. §. 2. tanquam *veriſſimam & ſinceriſſimam* amplectitur eorum ſententiam, *qui gratiam efficacem conſtituunt in gratuita ac benigna Dei operatione, quâ propriè in libero hominis arbitrio operatur ipſam converſionem ſeu alium quemcumque actum veræ pietatis, ſcilicet ipſum pietatis motum efficienter attingendo, hoc eſt, voluntatem ipſam applicando & determinando ad volendum & eligendum. Quæ operatio Phyſica vocatur, id eſt, propriè dicta; qualis nimirum agnoſcitur in Deo ad alios quoſcumque effectus ab ipſo procedentes. Quoniam verò fieri nequit; ut Deus voluntatem determinet & non ipſa voluntas determinetur, agatque id, ad quod tanquam cauſa ſecunda applicatur à Deo, ſequitur fieri non poſſe, ut gratia iſta non habeat ſuum effectum. Vndè hâc ratione efficax dicitur gratia Dei, nimirum efficacitate Phyſicâ & propriiſſimè dicta.*

Magiſtrum ſuum ſecutus eſt Franciſcus Sylvius, cujus libellum de primo motore vidit ac laudavit Lemos, qui & ſuprà allegatam Eſtii doctrinam operibus ſuis libenter inſeruit.

Quid cenſet de illa doctrina Facultas Theologica Lovanienſis? R. ex Cenſura & juſtificatione certum eſt, eam liberè confiteri, hominis lapſi voluntatem tali gratia præveniri; neque de eo magis hodie dubitant Thomiſtæ, quàm olim dubitaverit P. Lemos.

Biennio poſt declarationem ſuprà citatam in Capitulo Provinciali factam libellum edidit P. M. Paulus Faſſeau, quem nonnulli Eximii Patres, qui præfatæ declarationi ſubſcripſerant, magnificè probaverunt, in quo omnibus palam facit quod (verba ſunt illius Authoris) *TOTA ILLA celeberrima Vniverſitas* (Lovanienſis) *eſt pro gratia prædeterminante contra Molinæ novitates.*

En, quomodo Belgii Thomiſtæ tam ſæculares quam regulares Thomæ Lemos concinant, in gratiæ per ſe efficacis notione conveniant, ejus energiam eodem modo explicent, ſibique Lovanienſes adhærere glorientur.

Neſcio an deinceps ambigere poterunt Adverſarii, rectène Thomiſtarum doctrinam retulerim. Si tamen dubitare pergant, hoc enixè rogo, ut definitioni Capituli illius Provincialis, Lemos & Eſtii addant ac detrahant, quæ genuinæ Thomiſtarum ſententiæ minus conſona arbitrantur.

At Moliniſtas audire videor repetentes, quod alias ſæpè dixerunt, nempè Janſenium inter Medicinalem ſuam gratiam, & Thomiſtarum præmotionem, etiam in ſtatu naturæ lapſæ, multiplex diſcrimen ſtatuere. Verum quid hæc ad nos, qui non Janſenii, ſed Auguſtini, Majorumque noſtrorum doctrinam tuendam ſuſcepimus? Diſcant vel indè Moliniſtæ noſtram deinceps doctrinam non amplius laceſſere, qui gratiâ per ſe efficaci ſuprà per Thomiſtas definitâ hominis lapſi voluntatem præveniri confitemur, noſtram inter & illorum medicinalem gratiam nullum tale agnoſcentes diſcrimen.

§. 3.

Quid de doctrina Thomæ Lemos Inquiſitio generalis & Epiſcopi Hiſpaniæ cenſuerint?

UT Lovanienſes contra Leſſium, ſic præſtantiſſimi Hiſpaniæ Epiſcopi ſuas contra Molinam edidêre Cenſuras. Eminuerunt inter cæteros Epiſcopi Segovienſis, Carthaginenſis, Placentinus, Terraconenſis, & Mindovienſis, qui à principio controverſiæ ſuum pro gratia prædeterminante protulere judicium contra Molinam. Quorum ſe Cenſuras vidiſſe, probaſſe ac laudaſſe teſtatur Lemos tom. 4. p. 2. tract. 4. n. 600.

Scientiam mediam pari zelo inſectati ſunt, ac Molinæ concordiam hâc præcipuè ſcientiâ mediâ.

media fundatam attentius conſiderarunt, pariter damnarunt; & damnandam ab omnibus judicârunt, teſte eodem Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 35.

De ſupremo inquiſitionis generalis ſenatu illud inprimis conſtat, quod Univerſitati Salmanticenſi mandaverit, ut ſuum de Molinæ concordia proferret judicium, quæ æquiſſimo huic mandato obſequens 22. Julii 1595. Cenſuram edidit, cui ſeptem doctiſſimi Theologi ſubſcripſerunt, doctiſſimè oſtendentes, quod de materia divinorum auxiliorum tenendum ſit contra ſententiam Ludovici Molinæ. Lemos ibid.

Quid, poſt inſignis illius Academiæ judicium, Moliniſtis ab inquiſitione generali imminerct, tam ipſis notum eſſe dicit Lemos, ut referre opus non ſit. Ab hac Inquiſitione tamen tunc Cenſura non emanavit, eo quod cauſa Romam evocata ſit; de quo abſit ut Moliniſtæ glorientur.

Veteris ſuæ doctrinæ memor ſacra illa Inquiſitio Thomiſtarum doctrinam, quam tanti fecerat ſuperiori ſæculo, paſſa non eſt à Moliniſtis gravius exagitari. Unde cum in Univerſitate Complutenſi, eo tempore quò Joannes à S. Thoma ibidem florebat, in Collegio Societatis Jeſu pro diſputationibus publicis typis mandata fuiſſet hæc aſſertio: *Non admitti phyſicam prædeterminationem quia libertatem elimiaat, ut docebat Calvinus*, re ad ſupremum Inquiſitionis Tribunal delatâ, decretum fuit, ut coram Commiſſario S. Officii tam præſes, quàm ſcholaſticus propugnator palinodiam caneret. Cujus facti teſtem oculatum, cum libuerit, proferemus. Patem, ſi non majorem, pœnam illi merentur, qui in memoriali ſæpè memorato præſtantiſſimos Religioſorum Ordines, & Scholam Lovanienſem accuſare auſi ſunt apud Regem Catholicum non aliam ob cauſam, quàm quod eandem doctrinam tuerentur.

§. 4.

Quid de doctrina Thomæ Lemos & noſtra cenſuerint Theologi & Academiæ Hiſpanicæ?

RUardum noſtrum ſibi favere glorientur Adverſarii; ſed Lovanienſes glorientur magis per Ruardi lapſum didiciſſe ſe, quis Hiſpaniæ eo tempore ſenſus foret de Prædeſtinatione & Gratia.

Sapientiſſimus ille Magiſter F. Petrus Soto, inquit Lemos Tom. 1. Tract. 5. cap. 19. *omnium ſuffragio doctrina laude clariſſimus & famâ ſuper æthera notus certior redditus, quod nonnulli Facultatis Lovanienſis Doctores non rectè de Prædeſtinatione, divina gratia auxiliis, ac libero hominis arbitrio ſentirent adverſus antiquam & probatiſſimam S.P. Auguſtini doctrinam communiter ab Eccleſia Catholica receptam, imminenti huic malo remedium adferre conſtituit, & ea de cauſa doctiſſimam quandam conſcripſit epiſtolam Ruardo Tappers Lovanienſi Decano, in qua ſe valdè mirari ſignificat, quod hujuſmodi doctrinam ipſe probaret ac ſuſtineret, imo & ab aliis ſuſtineri ac defendi pateretur ac ſineret, efficaciſſimis deindè argumentis probans, eam à Pelagianorum errore toties temporibus illis damnato & anathematizato minimè diſcrepare.* Multùm illi debemus, quod ab eo didicimus, doctrinam Ruardi, cui Moliniſtæ ſubſcribunt, judicatam in Hiſpaniis fuiſſe doctrinæ communiter ab Eccleſia Catholica receptæ, quin & antiquæ & probatiſſimæ S. Auguſtini ſententiæ repugnare.

Ac proinde mirandum non eſt Academias Hiſpaniæ doctrinâ hâc ab Eccleſia communiter receptâ imbutas Molinæ dogmata ita fuiſſe averſatas; quod Moliniſtæ ipſi & Thomas Lemos pari conſenſu referunt.

Teſtis eſt Lemos, quod priuſquam Molinæ concordia prælo eſſet mandata, Patres Societatis, quaſi ad ipſam diſponentes, Molinæ doctrinam de gratia & libero arbitrio in Salmanticenſi Academia publicare cœperunt, *quam inſignis illius Univerſitatis Profeſſores*, inquit idem, *non ſolum ex Dominica Familia, ſed alii Magiſtri doctiſſimi illam novam doctrinam tanquam erroneam & de Pelagianorum reliquiis derivatam ad Sacros Fidei Cenſores defe-*

rendam

rendam eſſe judicarunt. Unde & S. Inquiſitionis Valliſoleti Index inſignis Ioannes Aretius litteris & prudentiâ clarus Salmanticam hujus rei inquirendæ & examinandæ causâ miſſus fuit. Quâ diligenti examinatione de aſſertionibus & Aſſertoribus factâ, omnes S. Theologiæ illius Univerſitatis Magiſtros in unum congregatos conſuluit. Qui temeritatis nota (Molinæ) *ſententiam ſubſcriptis propriis nominibus judicarunt.*

Theſes de præfinitionibus æternis ad ſenſum Molinæ à Salmanticenſibus fuiſſe proſcriptas fatetur Paulus Leonardi Societatis Theologus part. 3. num. 35.

De Cenſura edita juſſu & mandato S. & Generalis Inquiſitionis vidimus §. ſuperiori; quam iterum ſic Thomas Lemos commendat: *Salmantina inſignis Academia ſcientiam mediam, & doctrinam in ipſa deſuper fundatam non admiſit, ſed penitùs reprobavit, & reprobandam ab omnibus judicavit, quorum doctiſſimas Cenſuras ſuper hac re accuratiùs elaboratas nos vidimus, multique doctiſſimi viderunt & conſiderarunt, dum Romæ ad pedes SS. D. Clementis VIII. res ipſa graviſſima tractaretur.*

Præter Ordinis Dominicani Patres doctrinam eandem celeberrimi in Hiſpania Viri propugnarunt, nempè Doctor Surra, Franciſcus Cumel Generalis Ord. S.Mariæ de Mercede, Doctor Petrus de Caſtro, qui poſteà fuit Lucenſis Epiſcopus, Magiſter Michaël Salonius Ord. S.Auguſtini, Magiſter Ludovicus Coloma ejuſdem Ord. Doctor, Franciſcus Camata poſteà Decanus Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, Magiſter Franciſcus Rada Ord. S. Franciſci, poſteà Tranenſis Archi-epiſcopus.

Doctrinam Patrum Dominicanorum contrà Patres Societatis hi omnes vindicarunt, ac proinde & doctrinam Patris Lemos, qui à Provincia Hiſpaniæ non ſine ſummis expenſis Romam Legatus, Collegarum ſuorum os fuit & lingua.

Ergò & à Valliſoletanâ Academiâ, quin & à Cenſoribus Romanis doctrina Lemos probata eſt, quia teſte dicto Paulo Leonardi, conformes omninò fuerunt Cenſura Romana, Salmanticenſis, & Valliſoletana. Verba ejus accipe ex part. 1. num. 19. *Hominibus maturis haud ſatis tum probatum fuit, quod cenſura hæc Theologorum urbis nimium conſentiret cum alia cenſura Patrum Dominicanorum Provinciæ Hiſpaniæ facta à Magiſtris Salmanticenſibus & Valliſoletanis ejus Ordinis adversùm Molinianam Concordiam: non enim mirari deſinebant tantam diſſitorum ingeniorum potuiſſe eſſe fraternitatem, ut quaſi ejuſdem ventris Gemelli in omnibus ſimiles, vix lineamentis & geſtu diſcerni poſſent; quare ſanè in ſchedis, in quibus illarum controverſiarum acta digeſta, ſunt memoratur percrebuiſſe rumores apud viros graves, fuiſſe Patres Domicanos, à quibus Cenſura non tantùm ſubſtantia, ſed modus & verba concepta ſunt.*

An Patrum Dominicanorum fuerint illæ Cenſuræ, an hominibus maturis dignum fuerit, Theologorum Romanorum Cenſuræ detrahere, eò quod Salmanticenſi & Valliſoletanæ nimium conſentiret, §. ſequenti diſcutietur. Hìc notaſſe ſufficiat, primò quidem Cenſuras Romanam, Salmanticenſem, ac Valliſoletanam omninò fuiſſe conformes: ſecundò multa eſſe dignum admiratione, quod tantâ libertate jactârint Leſſius Hamelius que ſuperiori ſæculo, Academias illas veterem mutaſſe ſententiam, ſolamque Lovanienſem controverſis tunc articulis obſtrepere, ideoque & ab urbe eam periclitari, cum ipſi nunc fateri cogantur, pari quin & majori zelo Academias illas Hiſpaniæ Cenſoreſque Romanos eidem doctrinæ obſtitiſſe. Piè credo, hos Profeſſores ea ſparſiſſe, quæ ex Hiſpania Româque acceperant, ſed vel inde diſcant ejuſmodi litteris minus fidendum eſſe, quàm fidat Paulus Leonardi, qui ſolas ejuſmodi litteras Cenſuris tam authenticis opponere potuit.

De Complutenſi Univerſitate illud dixiſſe ſufficiat, conſtare eam à doctrina Lemos non eſſe alienam, cum Rector & Facultas Theologica in iſta Univerſitate phyſicam Collegii Complutenſis RR. PP. Carmelitarum Diſcalceatorum tam magnificè probaverint, in qua tamen ad ſenſum Thomæ Lemos præmotio phyſica valide propugnatur.

Verbo

Verbo dicam ; teſtantur Joannes à S. Thoma & Carmelitæ Salmanticenſes, quod pauci præter Jeſuitas Molinæ adhæreant.

Tota ergò Hiſpania dum Thomæ Lemos dogmata jam pridem tuetur, validè certat pro Cenſura Lovanienſi ejuſque juſtificatione , quam præ cæteris phyſicæ prædeterminationis vindicibus Thomas Lemos tot encomiis in cælum extulit.

§. 5.

Quid de doctrina Lemos & noſtra cenſuerunt præſtantiſſimi Italiæ Theologi ?

CUm Thomæ Lemos dogmata inſectarentur nuper Moliniſtæ , eaque conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. eſſe proſcripta contenderent , his ſe conatibus mox oppoſuere varii Patres Prædicatores , palam Romæ profeſſi tam in libello ſupplici quam in memoriali ſuæ Sanctitati exhibitis,Thomam Lemos ea ſolùm de auxiliis tradidiſſe, quæ ab ævo tota Thomiſtarum Schola amplexata fuit ac probavit. Abſit ut ſacra hæc familia illius nunc dogmata repudiet,pro quibus circà hujus ſæculi initium tantâ virtute certavit, Romam ablegato eodem Thomâ Lemos Ordinis ſui cauſam acturo. Novem vel potius decem annis Romæ ille ſtetit in acie,ubi coram Clemente VIII. & Paulo V. publicæ 47. diſputationes habitæ fuere , & Cenſorum coram eiſdem Congregationis aliæ 47.; *in quibus omnibus* , inquit Lemos , *præterquam in primâ & in altera , quia tunc infirmitate detinebamur , nos pro gratia divina efficacitate ſemper diſputavimus.* Non ex actis Pegna vel Lemos hæc proferimus , ſed ex libris ejus dogmaticis , quatenus ab ipſis Societatis Scriptoribus ſæpius confirmantur vel elucidantur. Quam maturè in Congregationibus illis omnia tractarentur ; juvat ab hoc oculato & irrefragabili teſte audire rem ita referente. Tom. 1. part. 2. tract. 5. cap. 25. Romæ ſcientia media *per aliquot annos ſemel , iterum , atque tertio diligentiſſimè examinata à Doctiſſimis Epiſcopis & Doctoribus ad id à Sanctiſſimo Conſignatis ſemper damnata fuit ſicut Pelagianorum fulcimentum; & tandem poſt longiſſimas, graviſſimas, & aſſiduas diſputationes in præſentia ſua Sanctitatis habitas, ubi & Patres Societatis uſque ad extremum exauditi ſunt , & omnibus , quæ in favorem hujus mediæ ſcientiæ oppoſuerant , nos adjutorio divinæ gratiæ reſpondentes pro efficacia divinæ gratiæ (ut fertur) plenius ſatisfecimus. Poſt , inquam ; omnes has aſſiduas & elaboratas utrimque diſputationes , & poſt aſſiduam aſſiſtentium conſultationem , aliaque innumera , quæ Sanctiſſimus inſpici & conſiderari præcepit,adhibens in hoc negotio non ſolum ordinariam,ſed extraordinariſſimam diligentiam,& Pontifici ipſi Clementi VIII. & omnibus Aſſiſtentibus , uno ſolo dempto , ſummoperè diſplicuit , ita ut ſcientiam* (mediam) *appellares Clemens VIII. cum in hac cauſa eſſes Doctiſſimus factus* , HUMANUM INVENTUM AD ACCOMMODANDUM IN APPARENTIA OMNIA.

Conferenda ſunt hæc cum iis, quæ §.4.retulimus ex Paulo Leonardi Theologo Societatis , quem malè habet , quod ita ſibi concinant Cenſura Romana,Salmanticenſis,& Vallifoletana contra Molinam. *Hominibus maturis* , inquit , *haud ſatis probatum fuit , quod Cenſura Theologorum urbis nimium conſentiret cum alia Cenſura Patrum Dominicanorum facta à Magiſtris Salmanticenſibus & Vallifoletanis ejus Ordinis adverſus Molinianam concordiam.* Credo ego , quod maturi illi Viri quippiam hic improbare caviſſent , ſi illis innotuiſſent ea, quæ à Thoma Lemos audivimus.

Clementem VIII. prudentiſſimum doctiſſimumque Pontificem, non alteri partium plus æquo , at ſoli veritati fuiſſe addictum , Moliniſtæ ipſi confitentur. Doctiſſimos proinde Epiſcopos ac Doctores ab eo fuiſſe delectos , qui cauſam hanc diſcuterent , & cauſæ gravitas , & Pontificis ipſius prudentia & doctrina omninò poſtulat. Patres Societatis ad

extre-

extremum fuiſſe auditos, Thomas Lemos apertò fatetur. Et tamen *poſt aſſiduas & elaboratas utrimque diſputationes, & poſt aſſiduam aſſiſtentium conſultationem aliaque innumera quæ Sanctiſſimus inſpici & conſiderari præcepit adhibens in hoc negotio non ſolum ordinariam ſed extraordinariiſſimam diligentiam, & Pontifici ipſi Summo & omnibus aſſiſtentibus, uno ſolo dempto, ſummoperè diſplicuit* ſcientia media. Fallor ſi maturos viros deceat ea improbare, quæ tantis viris poſt examen tam ſolemne probata ſunt. Sed non capit Paulus Leonardi, qui fieri potuerit tantam diſſitorum ingeniorum eſſe fraternitatem ut Cenſuræ illæ, Romana nempè, Salmanticenſis & Valliſoletana, quaſi *ejuſdem ventris gemelli, in omnibus ſimiles, vix lineamentis & geſtu diſcerni poſſent.* Eandem poterant Conciliis Africanis & Arauſicano, quin & Pontificum Decretis litem movere Auguſtini Maſtiges, cujus verbis ſæpè Catholicæ Eccleſiæ doctrinam declarârunt.

Poſt tam ſolemnes diſputationes non tantum ex Dominicanorum ſenſu, ſed & verbis rem tandem concludi nihil veritati detraheret, ſed Dominicanorum doctrinam prudentiamque commendaret, quòd ſic contra Molinam in Hiſpania diſputaſſent, ut in eorum Cenſuris nihil Cenſurâ liturâve dignum vel doctiſſimi illi Cenſores vel Romani Pontifices comperiſſent.

Hinc nec volo operoſius exagitare, quod Paulus Leonardi confinxit (nec enim hanc Dominicanis laudem invideo) Cenſuras illas Academiarum Hiſpaniæ à Patribus Dominicanis emanaſſe, quia facilè refutantur ex iis, quæ ſuprà à Thoma Lemos audivimus.

Unum hic addidiſſe ſufficiat, nempè Patres Dominicanos per ſuum Thomam Lemos tam validè doctrinam ſuam Romæ propugnaſſe, ut ipſe Pater Ferdinandus Baſtida à Societate delectus ut cauſam Molinæ contra Dominicanos in celeberrimis illis congregationibus tueretur, poſteà in Hiſpaniam redux ſuique juris factus Valliſoleti & alibi Thomiſtarum de præmotione phyſica ſententiam tradiderit, quod authentico teſtimonio, ubi opus fierit, probabimus. Adeò certum eſt nihil ibi temerè fuiſſe concluſum. Quid generalis Ordinis Eremit. S. Aug. quid ejuſdem Ordinis Generale Capitulum omnibus Ordinis ſui Lectoribus præſcribant, quam Romæ tradant doctrinam Dominicani, Carmelitæ Excalceati &c. ipſis quoque Adverſariis notiſſimum eſt. Cum hi omnes Thomæ Lemos placita, in iis præcipuè punctis de quibus nunc eſt quæſtio, tueantur ac probent, ſedulò expendant æmuli noſtri, quid Lovanienſium doctrinæ de gratia obeſſe poſſint Innoc. X. & Alex. VII. Decreta, quibus certum eſt Thomiſtarum doctrinam non eſſe proſcriptam.

§. 6.

Cur præ cæteris certum ſit doctrinam Thomæ Lemos ab Innocentio X. non eſſe proſcriptam?

THomam Lemos in tomis ſuis dogmaticis, ſeu Panoplia Gratiæ eam tueri doctrinam, quam in Congregationibus de Auxiliis contrà Molinæ vindices propugnavit, nec Moliniſtæ ipſi audebunt diffiteri.

Illud autem indubitatum eſt, doctrinam illam ab Innocentio X. non eſſe proſcriptam, cum ſedulò ille poſt editam in quinque articulos Cenſuram decreverit, ne quis doctrinam P. Lemos Cenſurâ graviori notaret.

Mirantur nonnulli, qui fieri potuerit ut Annatus, id eſt, rigidus ille Thomiſtarum Cenſor, poſt Innocentii X. decreta vehementiorem illum in Thomiſtas ardorem quem juvenis conceperat, ſenior temperarit? Sed norunt eruditi, didicerat Annatus cum Romæ verſaretur, ab eo didicerunt tot alii Societatis Patres hoc incunctanter affirmantes, certum eſſe ac indubitatum, ab Innocentio X. poſt damnatos 5. articulos aliud emanaſſe mandatum ſanciens, ut in materia de auxiliis Pauli V. Decreta obſervarentur. Porrò inter Pauli V.

Decreta

decreta de auxiliis illud præcipuum eſt, cujus meminit Sylvius præfatione monitoriâ in primam partem, ex qua per litteras Apoſtolici Nuntii conſtat, anno 1607. mandaſſe Paulum V. *Eas terminari diſputationes, quæ Romæ coram Sanctitate ſua habebantur, ſimulque ſuam Sanctitatem præcepiſſe, ne quis in poſterum oblatâ de prædictis rebus tractandi occaſione, contrariam ſententiam in Cenſuram vocare, vel dictis perſtringere ullo modo auderet.*

Si Thomiſta alius dogmata quædam ſententiis Thomæ Lemos minùs conſona traderet, liberiùs fortè in cenſuram vocari, acrioribuſque poſſet verbis perſtringi, eò quòd Sanctitas ſua tantùm vetet ſuo Decreto illa perſtringi ac carpi ceu Thomiſtarum ceu Moliniſtarum dogmata, de quibus coram Sanctitate ſua diſputatum eſt; non item ea, quæ fortè nonnulli poſteà Moliniſtis vel Thomiſtis adſcriberent.

Cum ergò Thomas Lemos Romæ præ cæteris cauſam ſui Ordinis propugnarit non privato nomine, ſed ab univerſa ſui Ordinis Hiſpanica Provincia delegatus, tantoque ſucceſſu, ut, teſte ipſo Paulo Leonardi, Dominicanorum Cenſuram à Salmanticenſibus ac Valliſoletanis probatam ipſi quoque Cenſores Romani confirmarint, certiſſimum eſt Pauli V. mentem fuiſſe, ut illa præ cæteris doctrina ab omni Cenſura eſſet immunis.

Deinde hìc notari velim, hanc totam cum Moliniſtis controverſiam in eo verſari, an Thomas Lemos gratiam per ſe efficacem rectè definierit; an rectè de ſua definitione dixerit, quod *veritas iſta brevi compendio univerſam hanc materiam & primam ac fundamentalem ejus quæſtionem & quoad rem & quoad vocem clariſſimè comprehendit.* Si Dominicani Hiſpaniæ adeò fuere ſolertes, ut Univerſitatem Salmanticenſem ac Valliſoletanam, quin & Inquiſitionem Generalem Epiſcopoſque Hiſpaniæ in partes ſuas facilè traxerint, teſte Paulo Leonardi, mirùm foret viros adeò eruditos prima doctrinæ ſuæ ignoraſſe elementa: quod ſi ea non ignorârint, nec eum delegerunt ac per decennium continuarunt ſuæ doctrinæ vindicem, qui quæſtiones tam fundamentales non probè calleret. Certum ergò ſit ac indubitatum, Doctrinam Thomæ Lemos Innocentii X. Decreto non eſſe proſcriptam; ſed potiùs Pontificis illius Decreto ab omni cenſura eſſe vindicatam.

Atqui eandem plane medicinalem Chriſti gratiam Schola Lovanienſis admittit in Cenſura ejuſque juſtificatione, ergò & illa immunis eſt à ſimili Cenſura.

EPILOGUS.

SI Lovanienſium de medicinali Chriſti gratia doctrinam (quemadmodum hâc Theſi demonſtrare conatus ſum) ſuperiori ſæculo probârint Salmanticenſis, Valliſoletana, Duacenſis & Lovanienſis, id eſt, quatuor tunc florentiſſimæ in univerſa Hiſpaniæ Monarchia Academiæ.

Si pari zelo eam vindicarint præſtantiſſimi Hiſpaniæ Epiſcopi, Inquiſitio Generalis, ac primi nominis ibidem Theologi.

Si in Belgio omnes Epiſcopi, ac illi præ cæteris, qui validiſſimè contrà Hæreticos pro Religione Catholica certantes Romanæ Eccleſiæ & Regi Catholico harum Provinciarum reliquias ſervaverunt.

Si omnes Religioſi Ordines, quin & ipſa Societas ante Molinæ Leſſiique tempora tam in Hiſpania quàm Belgio eandem propugnarint.

Si delecti à Clemente VIII. Cenſores, quin & ipſe Clemens VIII., cum in hac cauſa doctiſſimus eſſet factus, poſt examen exactiſſimum, in quo ad extremum audita ſunt quæ pro Molina Patres Societatis opponebant, noſtram doctrinam contra Molinam ſecuti ſint.

Si ipſe Moliniſtarum Coriphæus Ferdinandus Baſtida Româ in Hiſpaniam redux eam amplexus ſit.

Si Thomas Lemos, ſi Dominicanorum Provincia Hiſpanica, cujus ille per decennium Romæ os fuit & lingua.

Si